



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

33. An Confessarius possit absolvere concubinarium amplius cum concubina non peccantem, permittens illam invisere, fine alendi filios, ne cum aliis ipsa se immiscendo sit dictis filiis dedecori. Ex ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

verf. Vt si  
vir. & in Re-  
fol. 5. § ult.  
ad lin. 4. &  
quamvis nõ  
plene sup.  
hoc lege ta-  
men doctri-  
nam Refol.  
præterita.

Miffam audire, si ob id occasio accedendi elabatur, quantumcumque intendat ad nundinas ire causa augendi lucrum; sic nec concubinam ejicere, erit obnoxius concubinarium, si ex ejectione magnum emolumentum efflet non acquiratur; sufficit, namque proponere deinceps non peccare. Imò & si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij vulgò, *regalo*, dum deficiente illo nimis agrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium affecerint, & alia famula ad id nimis difficile adinventur, ejicere illam non erit concubinarium obligandus, quia oblectamentum dictis circumstantiis consideratum est majoris æstimationis, quam quocumque horum temporale, ob quod fas erit cuique de novo admittere foemina ad sui famulatum, quantumcumque metuat labendi periculum, si aliam non inveniat paris qualitatis illis in rebus, quæ sibi sunt maximè utiles, si namque ob hanc causam jam receptam expellere non constringitur, eodem jure de novo admittere illam erit concessum.

2. Sed an hæc sint probabilia, aliis judicandum relinquo, quilibet enim tenetur salutis propriæ spirituali consulere, etiam cum aliquo temporali, & corporali detrimento. Et ideo primum calum, quem ubi supra, ponit Sanchez, refellit nominatim Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 9. §. 3. num. 14.* docens ejiciendam esse concubinam è domo, & amittendum debitum, ex cuius amissione concubinarium non grave damnum veniat. Sed potest aliquis dicere. Ergo secundum Palaum si grave damnum ex amissione debiti concubinarium patitur, non esse concubinam è domo ejiciendam ideo tu cogita.

3. Notandum est tamen hic non ejecta concubina posse absolvi poenitentem, cum cessat reincedendi periculum, quia deformis facta est, vel infirma, aut quia cognatio inter eos esset suborta, quæ ab ipsis contemni non creditur, aut nova alia interfint obstacula. Ita ex Graffio, Fernandez, & Lopez docet Sanchez loco citato, ubi supra *num. 12.* & Castrus Palaus *num. 16.*

## RESOL. XXXIII.

*An Confessarius possit absolvere concubinarium amplius cum concubina non peccantem, permittens illam invisere sine alendi filios, & ne cum aliis ipsa se immiscendo sit dictis filijs dedecori?* Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 109.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Beja p. 1. *cap. 14.* quia talis nihili æstimat peccatum scandali, in quod conjicit illos, qui vident ipsum ingredi domum concubinae, de quo ingressu non possunt non male judicare, tum, quia licet illa subventio sit opus charitatis respectu foeminae, & justitiæ respectu filiorum, cum tamen occultè, & per alios fieri rectè à viro illo possit absque hoc, quòd ipse ingressu suo det occasionem ruinae, & temerarij judicij videntibus, non potest à peccato scandali excusari, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 43. Tum demum, quia etsi ille non habeat animum accedendi denuo ad dictam concubinam, præbet tamen eidem concubinae ansam sua frequentij visitatione, ut verbis, voluntate, aut delectatione peccet, raro enim inter quos exitit diuturna illicitæ concupiscentiæ familiaritas, dissolvi, & extricari adeò potest, ut non remaneant quedam effrenatæ libidinis scintilla, quæ conspectu mutuo facile reviviscant.

2. Verùm novissimè adversus illum insurgit

Joannes Sanch. *in select. edit. Lugd. disp. 10. n. 9.* ubi sic ait. Non est credendum Patri Beja iniquienti non fore absolvendum concubinarium invidentem concubinam sine alendi filios, si ex ingressu oritur scandalum. Mutatur namque scandalum in passivum, cum ex justa causa non omittatur. Sic ille. Sed plus addit Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 9. §. 3.* Resol. n. 11. nempe posse, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque alia via possunt victum querere, etsi periculum à rebus habeat lapsus cum concubina. Ita Castrus. Sed ego in tali casu non video cur concubinarium per alios non possit filiis alimenta dicta præstare, vel cum aliis locis ita in domum meretricis intrare, ut scandalum locus esse minimè possit.

## RESOL. XXXIV.

*An parentes sint absolvendi, qui nolunt ad colloquium admittere filium, qui indignum matrimonium contraxit?*

*Et quid, si non indignum saltem multum inaequale?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 182.

§. 1. **C**asus est practicabilis, & ad illum respondet Layman *in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 4. n. 3.* ubi sic ait. Juvenis contra parentum voluntatem indigno matrimonio se copulavit, & non parvo dedecore familiam affecit, & propter parentes & fratres hominem ad colloquium suum admittere, eique veniam petenti ignoscere constanter recusant; queritur an à Confessario absolvi possit? Respondeo quòd pater offensus à filio in locum poenæ reconciliationem ipsi ad tempus negare possit, & idcirco reliquis suis liberis, totique familiæ præcipere, ut hominem, qui ita deliquerit, ad domum, vel consortium suum non admittant, quousque delicto convenientes poenas fuisse censatur, & familia hac in re præcipienti parere potest veluti ministri & executores justæ vindictæ paternæ. Quare Confessarius in hoc casu duo exquirere debet. Primum utrum pater, vel patres ex animi odio procedant, an solum justam vindictam spectent ad ipsius delinquentis emendationem, familiæ honorem, & aliorum majorem cautelam procurandam? Secundò ut vindicta, sive poena quæ tali filio irrogatur, non excedat mensuram delicti; quare in perpetuum non poterunt illi reconciliationem denegare, sed tantum ad tempus differre quousque videbitur conveniens ad punitionem & fines bonos consequendos. Ita Layman: cujus doctrina etiam ampliari potest, quando filius valde nobilis contra parentum voluntatem si non indigno, saltem multum inaequali matrimonio se copulavit, & ita in casu contingenti senserunt mecum docti recentiores.

## RESOL. XXXV.

*Quidam Sacerdos noluit absolutionem impendere cuidam in trivennijs per totam vitam condemnato, quia habebat voluntatem quamprimum fugiendi, tunc statim solutionem hujus casus enixè à me petierunt. Et an hoc intelligatur tam in Religiosis, quam in secularibus?* Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 39.

§. 1. **R**espondi, nimis rigidè in hoc se gerere Confessarium: nam licet Vasq. *in p. 2. q. 96. art. 5. disp. 174. c. 1. n. 7.* Becanus *in sua Theol. Salas p. 2. tom. 1. tr. 3. c. 7. q. 8. n. 4.* Valentia *tom. 3. disp. 5.*